

quam tu vides, aut commemorare possem sine dolore: quamquam tuis monitis praeceptisque omnis est abjiciendus dolor. Ergo et domestica feremus, ut censes; et publica paullo etiam fortius fortasse, quam tu ipse, qui praecipis: te enim spes aliqua consolatur, ut scribis; nos autem erimus etiam in omni desperatione fortes, ut tu tamen idem et hortaris et praecipis. Das enim mihi jucundas recordationes conscientiae nostrae, rerumque earum, quas te in primis auctore gessimus. Praestitimus enim patriae non minus certe, quam debuimus; plus profecto, quam est ab animo cujusquam, aut consilio hominis postulatum. Ignosces mihi de me ipso aliquid praedicanti: quarum enim tu rerum cogitatione nos levare aegritudine voluisti, earum etiam commemoratione lenimur. Itaque ut mones, quantum potero me ab omnibus molestiis et angoribus abducam; transferamque animum ad ea, quibus secundae res ornantur, adversae adjuvantur, tecumque et ero tantum, quantum patietur utriusque aetas et valetudo: et, si esse una minus poterimus, quam volumus; animorum tamen conjunctione, iisdem studiis ita fruemur, ut nunquam non una esse videamur. Vale.

XX. M. CICERO L. LUCCEIO Q. F. S.

«Respondet superiori epistolae, lugere se non tam filiae obitum, quam reipublicae tempora, ob quae ab urbe absit; in qua nihil jucundum, odiosa omnia. In studiis exiguam medicinam superesse.»

Omnis amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in his litteris, quas a te proxime accepi; non ille quidem mihi ignotus, sed tamen gratus et optatus: dicerem, jucundus, nisi id verbum in omne tempus perdidissem, neque ob eam unam causam, quam tu suspicaris, et in qua me lenissimis et amantissimis verbis utens, re graviter accusas; sed quod illius tanti vulneris, quae remedia esse debebant, ea nulla